



**Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Cons. LXXVIII. Resignationis Beneficii cum Reservatione omnium fructuum  
ad tempus vitæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](#)

proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine - omnia, & singula privilegia - facultates - Indulta - & alias gratias in his omnibus, & singulis, in quibus illa statutis, ac decretis Concilii hujusmodi contrariantur - ac si tenores illorum de verbo ad verbum infererentur, - declarat ipso jure revocata, cassata, & annullata - esse &c. Sed neque haec verba videntur revocationem convincere respectu Indulti hic controversi, ob speciale modum, quo illud concessum est, ut scilicet ipsa revocatio &c. pro redintegratione, & restituzione ejusdem haberetur, hoc ipso enim pro restituто, & redintegrato deberet haberi, etiam posito, quod verba haec revocationem illius

continerent, cui clausulae proinde debuisset fuisse derogatum, ut ipsum Indultum revocatum censeretur.

*Ad 3ium Licet verba citt. in privilegio hoc polita, non admant successoribus Pontificibus potestatem revocandi, aut limitandi Indulta cum talibus clausulis concessa, id tamen operantur, ut ad dictum revocationis, vel limitationis effectum non sufficient generales revocationes, sed requiratur specialis, & specialissima, quae vim habeant derogandi etiam tali clausulae, quae in Constit. cit. respectu praesentis privilegii non reperitur: imo eadem Constitutione solum loquitur de Regularibus, & hos ab usu privilegii Altaris portatilis prohibendos decernit.* 13.

## CONSLIUM LXXVIII.

In causa resignationis beneficij cum reservatione omnium ejus fructuum ad tempus vitae renuntiantis.

### SUMMARIUM.

1. 2. Facti species cum questionibus propositis.
3. Resignatio non potest fieri in tempus mortis.
4. Resignationes in favorem ab Episcopo non possunt admitti.
5. Qui ex uno beneficio sustentationem con-

- gruam non habet, potest acceptare secundum, per se sufficiens ad sustentationem.
6. Beneficiario debetur sustentatio ex beneficio, etiamsi bona propria habeat. Beneficium simplex non exigit residentiam.

### FACTI SPECIES.

#### I.



Acerdos sexagenarius, quandoque valetudinarius, Beneficiatus, absque ullā, & quidem minima specie intervenientis simoniae, sed ex singulari benevolentia, & amicitia erga Sempronium, & illustrem ejus familiam motus, eidem simplex beneficium cum consensu, & ratificatione Ordinarii, & Patroni jus praesentandi habentis cum his conditionibus resignare cogitat, ut ipse senex Beneficiatus, quamdiu vixerit, omnes beneficij functiones peragere, & omnibus redditibus, quibus defacto fruitur, nullis ne quidem minimis exceptis, ad mortem usque suam frui solus possit.

### QUÆRITUR I.

2. Questiones An tali modo conditionata resignatio licet, & valida sit?
2. an consentiente Pa-

trono, jus praesentandi habente, eam Ordinarius ratam habere, & confirmare tenetur? 3. an Sempronius, habens quidem beneficium, seu Canonicatum, sed adeo exiguum reddituum, ut ex ejus solidis redditibus congruam, & personæ illustri competentem sustentationem, absque parentum annuo sublevamento, planè non habeat, beneficium hoc acceptare possit? 4. an beneficium istud post mortem parentum suorum, ubi pinguiores redditus ex hereditate acquisitus est, non solum tenere, & eodem frui, sed etiam per alium Sacerdotem (cum ei à Canonicatu abesse non licet), utpote in beneficio simplici, scilicet in legendis Missis duntaxat consistente, functiones praeflare possit, & Vicarium constituere. Denique 5. an Dispensatio, quatenus, in quantum, & à quo ad hunc finem sit necessaria? Item quo alio modo Sempronius oblatum sibi ita beneficium licite, & valide obtinere queat?

*Ad 1um resp. distinguendo, an resignatio ita fiat, ut resignans jus in beneficium, ipsumque beneficium statim ab accepta-* 3.

ceptione resignationis, & hujus approbatione ab Ordinario facta in Resignatorium transferat, ipse vero Vicario nomine illud administrare, & in stipendium vicariae operae fructus beneficii velit percipere; an vero ita, ut, dum vixerit, jus beneficii apud resignantem maneat, illudque primum a morte ipsius in Resignatorium sit transferendum. Si primum, valida, & licita est resignatio; nam resignans beneficium absolute dimitit, illudque transfert in Resignatorium, qui, sicut cum licentia Ordinarii quemcumque alium, ita ipsum resignantem Vicarium in beneficio resignato statuere potest, eique in stipendium laboris portionem redditum sustentationi ejus congruam relinquere. Si secundum, resignatio, absque consensu Sedis Apostolicæ, foret non solum illicita, sed etiam invalida; præterquam enim, quod conferretur in tempus mortis (pro quo nemo beneficium resignare potest) illa propriè non resignatio, sed constitutio successoris esset, quam SS. Canones semper horruere in beneficiis. Unde ut valeat resignatio, facienda erit modo priore.

**4.** Ad 2dum Si modo priore facta sit resignatio, Ordinarius, nisi aliud impedimentum Canonicum resignanti, aut Resignatio obstat, irrationaliter ratabilitatem resignationis negat. Tale autem impedimentum foret, si resignatio ista non foret simplex, sed sub onere, ut beneficium conferatur Resignatio, & non aliter; nam resignationes in favorem tertii, factæ cetera conditione, ut beneficium conferatur certæ personæ, nominate à resignante, & non aliter, in manibus solius Papæ fieri, nec admitti ab inferioribus Prælatis ordinariis possunt.

Ita Rebuff. *Prax. benef. tit. de resig. benef. condit.* n. 1. & 14. Azor p. 2. l. 7. c. 21. q. 2. Suar. *de Simon.* l. 4. c. 35. n. 6. Less. l. 2. *de justit.* c. 35. n. 87. Garc. *de benef.* p. 11. c. 3. n. 154. Pirhing *ad tit. de renunt.* n. 77. Wieschner *ibid.* n. 63. & alii apud istos: idque probatur ex stylo, & usu Curia Romanæ, seu communis consuetudine, juxta quam hujusmodi renuntiations sunt reservatae Papæ propter earum periculum, ne resignationes, & collationes beneficiorum acquirant speciem quandam hereditariæ successionis, cum effectus carnis vehementer impellere soleat ad resignandum amicis, & consanguineis. Unde qui beneficium suum coram Ordinario vult resignare alteri, debet illud resignare absolute, & simpliciter, non tamen impeditur preces ipsi proponere, ut illud conferatur ei, quem ipse nominat. Et sub hac ratione

Ordinarii solent acceptare resignations in favorem tertii factas, quamvis, si huic beneficium resignatum non conferrent, ei, & resignanti nullam facerent injuriam.

**5.** Ad 3dum Si Canonicatus, quem Sempronius habet, adeò tenues ferat redditus, ut, spectatis circumstantiis personæ, status &c. sustentationem competentem non præbeat, licite acceptat secundum, illudque cum primo retinet, modò non utrumque residentiam cum altero incompatibilem exigat. Proceditque hoc, etiamsi secundum sit per se sufficiens ad sustentationem congruam; adhuc enim illud cum primo insufficiente non incompatibili retinet licite, ut rectè advertit

Barbos. *in c. 2. 8. de prabend. & dignit.* n. 18. &c. sed pro declaracione. & de Offic. Episc. alleg. 62. per totam. Azor p. 2. l. 6. c. 10. q. 3. Palao tract. 13. D. 6. p. 3. §. 6. n. 13. Fagn. *in c. cum jam dum* 18. *de prab.* n. 57. & 58. Schambog, *ibid.* n. 36. Pirhing *dict. tit.* n. 186.

Ratio est, quia, qui habet primum non sufficiens, justè petit secundum ad congruam sui sustentationem; quia hoc lex ei permittit. Trid. sess. 24. c. 17. *de reform.* ergo etiæ secundum per se solum sufficiat, non tamen ideo debet privari primo insufficiente, cum, quod legitimè factum est, poenam non mereatur. Doctrina hæc locum habet in casu præsenti, ubi Canonicatus, à Sempronio præhabitus, dicitur non esse sufficiens ad ejus sustentationem congruam.

**6.** Ad 4. In casu præsenti Sempronius potest retinere utrumque beneficium, etiam postquam ex hereditate parentum post horum mortem auctæ sunt ejus facultates, ut ex bonis sic acquisitis congruam statui suo sustentationem habere possit; nam Beneficiario ex beneficio per se congrua debetur sustentatio, etiamsi bona propria tantum ipsi dent, ut ex ipsis competenter ad statum suum valeat vivere. Et quia à Canonicatu præhabito abesse non potest Sempronius, non impediatur, quin per Vicarium deservire alteri beneficio valeat; nam generali consuetudine obtinuit, quod beneficium simplex, quod Canonicatus non est, nisi aliud constet ex speciali statuto, aut fundatione, non exigat residentiam, sed per alium satisfieri obligationi ejusdem possit.

**7.** Ad 5. Si resignatio fiat modo, quo faciendam dixi ad quæsumum 2dum. & sic facta auctoritate Ecclesiastica sit approbata, non opus est dispensatione ad utrumque beneficium retinendum; quia conlectudo, imò jus Tridentini l. cit. retentio nem permittit.

CON-